

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio at cum fonte primo

Ego autem quomodo accedam qui porto plumam structionis in habitu religionis ut non placeam moribus sed uestibus. Quasi enim structio uolatum simulo, sed tantum pedibus terram tango; uolito habitu sed tango affectu.

Vnde et ueritas dicit: Hii sunt qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Exterius enim contegor ouis uellere, intus autem saeuio cupiditate.

Hugo ibidem (libro de claustro anime et de duodecim abusionibus).

Ego autem quomodo accedam? qui porto plumam struthionis in habitu religionis, ut placeam non moribus, sed vestibus. Quasi enim struthio uolatum simulo, sed tamen pedibus terram tango: uolito habitu, sed terram tango affectu.

Penna siquidem contemplationis a terrenis non elevat, quam corpulentia carnea fragilitatis pondere suo gravat. Unde B. Job: *Penna*, inquit, *struthionis similis est pennis Herodii et accipitris* (Job xxxix). Dicitur esse similis penna struthionis penna herodii et accipitris, cum aliquis habitu simulat quod vitam alicujus antiqui patris habeat. In pennis igitur similes sunt, sed corpore differunt, quia struthio corpore major est, et ideo a terra non potest eleuari. Qui enim terrena sapiunt, et terrenis inhiant, carnis desiderio solent aggravari.

Unde et Veritas dicit: *Hi sunt, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (Matth. vii. 15).

Exterius autem contegor ouis uellere, intus autem saeuio cupiditate.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 2, 23 (PL 176, col.1083A-B).